



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Euerhardo milite, qui se erexit in feretro, cap. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

statu prædicti Brunonis, acceperunt ab eis, quòd mortuus esset; de tempore autem sciscitantes, diem eundem inuenerunt, quo vocem prædictam in Vulcano audierunt. Conradus verò non multo post factus est monachus in Bergis.

## CAPVT X

**I**dem Bruno nominis sui filium reliquit, quem plenius suis vitijs quam possessionibus hereditauit: erat enim, sicut & pater, auarus valde; pauperum exactor, & supra modum luxuriosus. Ipse est Bruno de Flittere, pincerna comitis de Monte; vix tres menses elapsi sunt quòd mortuus est. In cuius obitu obsessa quædam à dæmone liberata, cum die quinta de nouo vexaretur, dixerunt quidam ad diabolum: Dic nobis vbi fuisti, vel quare reuersus es? Respondit ille: Verè maximum postea habuimus festum, ad obitum Brunonis congregati fuimus ad instar pulueris terre, cuius animam cum gaudio deducentes ad inferos, locauimus eam in sede debita, poculū infernale ei propinantes.

## CAPVT XI.

**E**odem tempore mortuus est in eadem prouincia alius miles Euerhardus nomine, & ipse vir criminofus sicut superior. Media nocte diabolus corpus erigens in feretro, cunctis qui aderant terrorem incussit; timens amici eius ludificationem dæmonum, corpus ligantes, ante Missam illud sepelierunt.

## CAPVT XII.

**E**odem tempore, quo Henricus Imperator subiugauit sibi Siciliam, in ecclesia \* Palernensi quidam erat Decanus, natione, vt puto, Teuthonicus: hic cum die quadam suum, qui optimus erat, perdidisset palefredum, seruum suum ad diuersa loca misit ad inuestigandū illum: cui homo senex occurrens, ait; Quò vadis, aut quid quæris? Dicete illo; Equum domini mei quæro: subjunxit homo: Ego non vbi sit. Et vbi est, inquit; Respondit, In monte Giber; ibi eum habet dominus meus rex Arcturus: Idē mons

*De montē  
Giber.  
\* Panor.  
mitana.*

Y y 2 *flam.*